

**Dissertatio inauguralis medica de analeptis quibusdam nobilioribus, e
cinnamomo, aniso stellato, et asa foetida ... / [Samuel Gottlieb Gmelin].**

Contributors

Gmelin, Samuel Gottlieb, 1744-1774.
Gmelin, Philipp Friedrich, 1721-1768.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Literis Sigmundianis, [1763]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gc544gy6>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA;
DE
ANALEPTICIS
QVIBVSDAM
NOBILIORIBVS,
E
CINNAMOMO, ANISO STELLATO,
ET
ASA FOETIDA


QVAM
PERMITTENTE GRATIOSA FACVLTA TE MEDICA
PRAESIDE
VIRO
EXCELLENTISSIMO atque EXPERIENTISSIMO
DOMINO
PHILIPPO FRIDER. GMELIN,
MED. DOCT. BOTAN. ET CHEM. PROF. PVBL. ORD.
FACVLT. MEDIC. p. t. DECANO,
SOCC. REG. SCIENT. LONDINENS. ET GOETTING. SODALI,
PATRVO ET PRAECEPTORE SVO PIE DEVENERANDO,
RO GRADV DOCTORIS IN MEDICINA
D. V. Mart. MDCCLXIII.

H. L. Q. C.
PVBLICAE DISQVIGATIONI SVBMITTET
AVCTOR RESPONSVRVS
AMVEL GOTTLIEB GMELIN, *Tubingensis.*
TVBINGAE, LITERIS SIGMVNDIANIS.

H. J. C. Camerer.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30786721>



PROLOGVS.

 **C**orporeae hominis vitae quoties eruere fontes praecipuos Physiologi student, aut rimari Medici conantur causas & conditiones palmarias, ad quas reduci possit illud omne, quo solo praesente vel totum hominis corpus, vel pars eius vivere adhuc dici queat, analytica methodo, subacto adplicata iudicio, ac phaenomenorum observatione maxime sollicita, ducuntur ad motum quendam determinatum, vigentem in partibus animalibus, quem fabrica earum praescribit & moderatur; ipsam enim vitam corporis animalis ponit actualis praesentia, & exercitium quaecunque causarum & virium, naturam corporis animale constituentium. Haec activitas fibris (ita Solida vocantur animalia) insidet, ut animalibus omnibus motricibus, sic & humanis, siue aliqua eius pars ingenita sit quocunque modo fibrae, prout *irritabilitatis* phaenomena innuere videntur, siue aliunde oriatur & sustentetur, quam *nunc* litem prorsus intactam relinquimus; nostro enim



scopo satisfacere potest confessio acerrimorum etiam irritabilitatis propugnatorum, exigere fibras motrices, pollentes propria irritabili se contrahendi vi, sustentatas, debitoque in statu conservatas, per sanguinis circuitum, fotas incitatasque ab efficacia caloris animalis, nervorum ad se pertinentium statum incolumem, liberumque cum encephalo, vel medulla spinali commercium; id quod peculiari dissertatione demonstratum dedit Mathaeus van GEVENS, Groeninganus ^{a)} qua §. 28 concludit: Ergo nervorum energia talis est, qua partes vitali qualibet evidenti actione conspicuae, absque contrahendi languore, debilitatione atque conturbatione diu carere nequeant, cum fibrarum irritabili facultati vires addat, eam debito in statu conservet, & per integram partem aequabiliter suscitari faciat, quae praeterea ipsam partium actionem, ad voluntatem in musculis voluntariis, & per excitatos adfectus in partibus voluntati non subiectis excitare, augere, mireque mutare possit, dum ipsa haec energia vel aberrans, vel plane alienam indolem induens, irritabilitatis effectui nocere, ipsam etiam extinguere posse videatur. Addit §. XXX, p. 28 Clarissimus Auctor: quodsi vero quaedam fibrarum motricium in partibus, ad vitam actione sua conferentibus, coordinatarum requiratur in agendo constantia, vigorque insignis, & regularis conspiratio, id quidem praecipue ex nervorum energia est repetendum. Iam vero, licet nec hodiernum diffiteamur, verum esse, quod in mediis Physiologiae ac Anatomiae tenebris antiquioris aevi sub-

olfecit

^{a)} de eo, quod vitam constituit in corpore animali disquisitio physiologica. Amst. 1758, p. 24, 25 seqq.



olfecit HIPPOCRATES, in hac humana biographiae parte, obiecta omnia perpetuo rotari circulo, & acutissimos etiam oculos, e mensura quidem spei humanae finem adsecutos, observare demum primum punctum, e quo circuli principium ducendum sit, quoties attentionem heic defigunt maximam, ea tamen oppido animadvertimus in suas utiliter trahere partes Medicos axiomata biographiae illius, quae plurimo cum fructu aegro etiam adplicari posse humano corpori multoties intellexerint. Cum vero insuper inextricabilis illa complicatio conditionum, quae fontes & pabula virium vitae corporis constituunt, hoc solum relinquat refugium ad nervos, eorumque integritatem, cum sexcentis & millenis in casibus tantopere urgeat indicatio vitalis, & praecipuus optatae medendi methodi, quae salutis certam spem omnibus aegris promittat, nervus ad prudens redeat virium vitae moderamen, & opportunum harum usum, undique profecto compellimur, ut subsidia quaeramus aptissima, quibus huic satisfieri possit. Neque morabuntur vel quaerentes vel adplicaturos infelicia exempla & experimenta Medicorum dormientium, quorum errores terra tegit, ubi somni archetypo dederunt remediis nervos excitantibus homines, debili valde nervoso systemate fruentes, inde ad tempus recreatos, sed paulo post expertos nimis concitados motus universae animalis oeconomiae, universalem orgasmum, unde liquidorum dissipatio, solidorumque tenerrimorum destructio emergit, BOERHAVIO notante *b*). Multoque minus hanc

A 3

indi-

b) Aphorism. de cognoscendis & curandis morbis §. 609—611. Et cel. van Swieten Comment. in eodem T. II. p. 147—163.



indicationem vitalem excludunt morbi acuti, regularibus coctionibus & crisibus materiae alicuius morbificae adstricti; quantumcunque scilicet largiamur, velle heic aegri etiam naturam suos in salutem sequi motus, tramesque regulares, nec nisi cum periculo aegri perturbationem admittere ullam, nemo tamen est, qui nesciat, in his quoque morbis, aegrotantis naturae uti molimina saepe praecipiti ultra modum agunt impetu deprimendo, ita haud raro etiam nimis languentia expectare stimulum artis, quo destituta succumbit natura, ut pereat aeger. Solebant autem, & adhuc quoque subinde solent auxilia huic indicationi vitali satisfaciencia vocare *Cardiaca*, quamvis vel directe, vel soli cordi non inserviant, utut verum sit, cor principem esse motuum illorum causam, unde vitales aestimantur vires. Ordinata valde prolixitate diversitatem eorum, & varium agendi modum describit immortalis BOERHAVIUS c) ubique adiiciens necessarias cautelas practicas. Nostro aevo cum intelligamus, multa dari medicamina, quae per indirectum vires vitales iuvant, & veram refectionis imprimunt sensationem, quatenus eas tantum semel & simul conditiones in corpore tollunt, quae liberum illarum virium exercitium suspenderunt, latiore Cardiacorum significationem usuris ea facile catalogum ampliore concedere possemus; quodsi autem subsistere volumus in medicamentis rectius eas vires, earumque fontes petentibus, & eas ipsas excitantibus, dum perpendimus, & cor, & fibras motrices animari omnino ab influxu fluidi nervei, pondus addente, constan-

c) Instit. med. Norimb. 1740, *Cardiaca & diacta aegroti* §. 1095—1115.

stantiae in agendo, vigori, & regulari omnium conspi-
rationi, non possumus non agnoscere, omnibus illis
e classibus cardiacorum, directe vitali satisficientium
indicationi, ea sibi omnia praecipuum vindicare locum,
quae BOERHAVIUS Inst. med. §. 1096. n. 4. c. nomi-
nat, & propius determinat §. 112. utpote quae quili-
bet e solo etiam odore atque sapore iudicet, nervos
directe potenter admodum ferire posse. Subsistemus
autem in hac dissertatione circa illas tantum horum
nervinorum species, quae aliis *analeptica, reficientia,*
instaurantia, confortantia, confortativa dicuntur, quae
a BOERHAVIO ibidem §. 112. sub nro. 2. lit. β. no-
minantur, immo pauca tantum ex iis exempla pro-
memus, vel potius praeparata ex iis, quae BOER-
HAVIUS eiusdem paragraphi nro. 5. lit. δ & brevissi-
me tangit. Seligamus e multis potentissimum *Cinna-*
momum, acerrimum Indiae orientalis, & calidissimum
aroma; temperatum dein magis, & gratissimum
odore atque sapore philippinarum insularum *Anisum*,
quod *stellatum* vocant, & foetidissimum Persiae gummi
ferulaceum, quod *Asa foetida* dicitur; docuerunt scili-
cet de his omnibus atque singulis observationes practi-
cae innumeris repetitae vicibus a Medicis optimae fi-
dei, quod eminente gaudeant virtute, in nervos effi-
cace, stimulante illos & excitante, dosibus etiam admo-
dum refractis & parcis; docuit etiam ars ex his com-
positis materiis vegetabilibus adeo feliciter & scite se-
parare partem efficacissimam ab inerte, prorsusque fa-
tua, ut ad extremum evecta esse perfectionis culmen
a multis annis gratularentur sibi haec producta medi-
cata



cata genuini artis magistri, de salute hominum solliciti; cum tamen chemici animadverterent, haec etiamnum nobilissima producta esse adhuc satis composita, & eam illorum partem, quae mirificam illam, adeo salutarem in nervos potentiam exercet, summa subtilitate, tenuitate atque volatilitate, reliqua omni materia superiorem, pondere ac quantitate materiae infimam esse, cum subolferent, vehementiorem illam acrimoniam crudiores & minus subtilem pendere ab admixta materia peregrina, concentrata salina, quae non minores rosione sua noxas nervis minatur, ac solatium subtilior promittit, actum profecto non agere videntur, qui de methodis cogitant, quarum ope separari crudiora illa & acria horum productorum principia possint, vel certe ita dividi, ut quantum fieri potest, nociva potestas imminuatur, & exaltetur efficacia. Posset solum Cinnamomi oleum curas has exemplo excusare suo non tantum, sed & approbare, hoc enim, ut viri fide digni adfirmant, genuinum in Zeylona paratum copia magna, vitris accuratissime clausis, per annos plurimos loco quieto conservatum, magna parte in verum sal, aqua solubile, virtute Cinnamomi propria praegnans mutatur, quin SLARIVS insignis Transact. Comp. T. III. p. 362. scribit: Dimidium illius olei, viginti annorum spatio adservati, vitris bene clausis, in purum abiisse sal. Quapropter inaugurale mihi pro legibus academicis specimen conscripturo, nec iniucundum, nec inutile visum fuit argumentum, quod a Practicis optata toties analeptica quaedam potentissima proponeret medicamenta, chemicis encheiresibus



resibus ita correcta & exaltata, ut viribus quidem non castrata, tuto tamen exhiberi possint, & plurima cum spe refectionis. Enarrabo igitur *primo* fideliter processus & modum, quo adornatae fuerunt singulorum productorum praeparationes, nihil eorum etiam omisurus, quae impedimento fuerunt. Subiungam *secundo* processuum anatomen & explicationem, quae contineat quoque praecipuam ingredientium historiam botanicam, & reliquam e Chemia & Materia medica. *Tertio* morbos indicabo, in quibus locum inveniant, & cautelas practicas, usum eorundem limitantes. Velit Deus, quem humanae salutis praecipuum adoramus fontem & Auctorem, ita huic etiam nostrae benedicere opellae, ut plurima inde in aegros redundant olim emolumenta!

§ I.

Ordiar a Cinnamomo, & enarrabo primo, qua ratione adornaverim praeparationem novi analeptici medicamenti ex eodem? Sumsi scilicet Cinnamomi acuti optimi, in pulverem triti Uncias duas, Alcoholis Vini Uncias sex. Mistas has inter se materias in arenae balneo humili satis immisi *cucurbitae*, alembico superimposito. Commissuras huius & excipientis vasculi chartae ope emporeticae firmissime obturavi, ne quid posset nobiliorum vaporum avolare. Ignis, quem adplicabam, erat *lenissimus*, tam *sub initium* processus, quam per *totum* illius *decursum*, ut alembicus numquam incalcesceret. Tarde admodum successit destillatio, quum magnus omnino calor ad extricandum Cinnamomi aethereum oleum requiratur, ego vero sollicite illam instituire conarer, ea tamen omnia obtinere cupidus, in quibus

B

uni-



universa Cinnamomi efficacia, separata a partibus illius crassioribus, inertibus & fatuis residere videbatur. Quatuor nimirum praeteriere dies, quorum spatium non plus, quam septem cum dimidia drachmas liquoris fragrantis, aqueae albedinis, obtinui. Sed in fundo Cucurbitae mirabundus vidi, omnem reliquam Alcoholis quantitatem absorptam esse in substantiam Cinnamomi; ab illa nunc quasi commutatam in pulvem, quod phaenomenon a nemine haecenus, si recte lego, annotatum corticis huius aromatici fabricae, magis porosae, humidum sitienti & spongiosae, adscribere nullus dubito. Ad impetratum liquorem quod attinet, illum quidem iam descripsi fragrantem, sed ut verum fatear, neutiquam ita mihi videbatur esse comparatus, ut meo exacte satisfaceret voto. Adeo efficax, adeo concentratus nondum fuit, ac quidem parare illum constitui, *nobilissimis* scilicet & *subtilissimis* cinnamomi constitutivis partibus imbutus. Ille igitur ut magis adhuc exaltaretur, sequentem adhibui encheiresin: Sumsi drachmas illas septem cum dimidia liquoris impetrati, easque adfudi drachmis tribus pulveris novi cinnamomi optimi, reddidi mixturam retortae, novam instituens distillationem sive abstractionem, eamque rursus sub lenissimo igne celebratam. Eadem sub illa observavi phaenomena, quae mihi se in primo offerebant processu; nec minus tædiosum fuit longum illud temporis intervallum, quo tardissima decurrebat distillatio, quamvis exinde quoque simul magnam essentiae efficaciam & praestantiam praesagire potuerim. Nec spem fefellit meam eventus. Quatuor quidem drachmas, & dimidiam tantum accepi abstracti liquoris, sed quoad mirificas suas & excellentissimas qualitates vix describendi. Erat totus quantus Cinnamomi odore & sapore refertus, fragrantissimus, quoad illum exploratus, & quoad hunc non quidem acrimonia flammeus & urens, uti cinnamomi corpus ipsum, & eius oleum aethereum talem offert, sed singulari, nescio qua, nulli fere materiae analoga, aroma-



matica, subtilissima, iucundissima praestantia scatens, expers salinarum crudiorum particularum omnium, quae oleum destillando cum aqua paratum adeo igneum reddere solent, cum eo in altum sublatae, ipsiusque partem constituentes.

Modo contigisset mihi rara fortuna, genuinum Zeylanicum accepisse corticem, nondum adulteratum, nondum destillatione emunctum, quam fraudem Indi Batavique toties committunt; iuraverim, maioris adhuc efficaciae & excellentiae fore essentiam, utut amabilem & praestantem. Sed nimia profecto volo, cum satis constet, tale quidem in Germania non posse sperari cinnamomum.

§ II.

Sumsi secundo *Anisi stellati*, seminibus carentis, id est, folius pericarpium, aut capsulae seminalis stellatae odoratae, iidem uncias duas, & Alcoholis uncias sex. Feci omnia, ut supra, sub igne omnino quoque *lenissimo*. Duas abstrahere uncias cogitavi, at cum destillatio multo promptius progrediretur, ac quidem illa cinnamomi, impetravi breviori multo tempore, ac de cinnamomo, ex eadem, ut ibi, Alcoholis quantitate, liquoris uncias duas & sex drachmas, cum dimidia. Obtentus liquor fortiter satis redolebat Anisum, & sapor quam maxime prodebat illud. Ut vero eo magis de nobilissimis illius qualitatibus persuasissimus esse possim, de novo destillavi illum cum integra anisi stellati uncia, nunc quoque per retortam, & abstraxi dein duas penetrantissimae essentiae uncias, de qua sine omni arrogantia praedicare possum, quod omnibus modis explorata quoad efficaciam simillima, si non superior fuerit, priori de cinnamomo destillata, salva scilicet diversitate inter aromata ipsa, eorumque diversam individualement indolem.



§ III.

Sumsi tertio *Asae foetidae* unciam unam, Alcoholis uncias quatuor. Omnia institui, ut prius. Accepi intra bidduum unciam unam & sex drachmas foetidissimi liquoris, mephiticum *Asae* foetorem ubique spirantis. Quum vero in prioribus enarratis processibus sat edoctus fui, quod iterata destillatio & cohobatio mire augeat & exaltet essentiarum qualitates nobiliores, similem cum ultima hac essentia institui concentrationem. Sumsi unam illam cum sex drachmis impetratam liquoris unciam, adfudi unciae adhuc novae *Asae foetidae* dimidia, lenem adplicavi ignem, quod iterum retardavit destillationem. Accepi vero, postquam satis fuerat protracta, essentiae unciam unam, naribus quidem & gustui non blandientem, quoad virtutes vero medicatas efficacissimam, balsamicam, nervinam.

§ IV.

En processuum meorum summam! Suscepturus iam eorum anatomen & explicationem, iuvabit prius curatius considerare ingredientia, quoad praecipua momenta e phythologia & materia medica petenda. A Cinnamomo initium faciam: Venit sub hoc nomine aroma, culinis etiam cognitum, quod est cortex tenuis in cannulas cubitales convolutus, coloris ad rubrum accedentis, odoris suavissimi aromatici, & saporis aromatici, acrimoniae urentis, gratissimae, Vernacula Zimmet, Canell. Refertur a LINNAEO, insigni illo Sueciae, immo totius Europae lumine, ad LAVRI genus, quod in classe enneandriarum monogyniarum habet, viribus medicatis celeberrimum, vocatur ab illo in Speciebus plantarum d) *Laurus foliis trinerviis, ovato-oblongis, nervos unientibus*; eandem specificam notam characteristicam

d) Carol. Linnaei Spec. Plant. T.I. p. 369. Sp. L

eam retinuit, quam in Flora Zeylanica e) iam dedit, eam vero in Horto Cliffortiano f) paulisper mutavit, ita ibi nostrum describens Cinnamomum: *Laurus foliis oblongo-ovatis nitidis*. CASPARVS BAVHINVS g) vocat cinnamomum canellam Zeylanicam, quoniam in insula Ceylon unice hactenus deprehenditur. IOHANNES BAVHINVS h) canellam, sive cinnamomum vulgare adpellat. RHEEDIUS i) qui vocavit illud Karau, optimam illius dedit descriptionem & delineationem. PAVLVS HERMANNVS k) Zeylanicam nomenclaturam Kurudu sive Kurundu retinuit. Multam sibi IOH. BURMANNVS, celeberrimus Botanices Professor dedit operam, elegantissime & describens & delineans l) cinnamomum, ubi cumulatam eius synonyma dedit, & laudavit descriptionem Horti malabarici tanquam accuratissimam, & egregiam prae aliis, notat vero simul, quod haec Zeylanica canella loco tantum natali a malabarica differat, & multo praestantior sit, monet vero praeterea, multas eius varietates occurrere in India, unde saepe figurae non respondeant figuris iconum: Novem, adiicit BURMANNVS, cinnamomi diversitates e sola Zeylona transmissas servo, quae foliatura maxime differunt, delineatae iam & descriptae in adpendice ad acta physico-medica Acad. Caesar. Leopold. natur. cur. Volum. I. Ao. 1727. pag. in adpendice quarta, & seqq. Repetit nomina & characteres harum varietatum BURMANNVS, m) additque novam speciem, eleganti simul expressam icone, quam vocat: cinnamomum perpetuo florens, folio tenuiore, acuto,

B 3

e) pag. 61. sp. 1.

f) pag. 156. sp. 6.

g) *Pinac. theatr. botan.* pag. 408.

h) *Hist. plantar.* Tom. I. p. 440.

i) *Horti Malabar.* Tom. I. pag. 107. t. 57.

k) *Mus. Zeyl.* pag. 12. 37.

l) in *Thef. Zeyl. exhibente plantas in insula Zeylana nascentes*, Amstel. 1737. p. 62. Tab. 27.

m) *l. c.* p. 63. Tab. 28.



acuto, ut PAVLVS HERMANNVS in suo museo Zeylanico canellam Zeylanicam sylvestrem, odore & sapore Myrrhae, flosculis verticillatis. Prout autem iam HERMANNVS l. c. not. k. scripsit, e trunci cortice oleum cinnamomi, e foliis oleum caryophyllorum, e fructibus oleum, iunipero simile haberi, sic NICOLAUS GRIMMIVS n) mentionem facit arboris cinnamomi sylvestris a Cinghalensibus *Walkurundu* vocatae, a Portugallis *Canell de Matte*, cuius radice cortex sal quoddam praebet volatile oleosum, potentissimum, saporis & odoris myrrhae. In genere autem de cinnamomo laboratorii sui pag. 56. haec habet: Arbor cinnamomi iure merito regina omnium arborum vocari meretur: e floribus enim aqua, oleum, spiritus & conserva penetrantissima, & summi usus in arte medica producuntur, e foliis pulvis carminativus in colicae passionibus, tympanitide, ad tormina intestinorum, ex illis etiam aqua, oleum stillatum, syrupus, oleum coctum ad externos usus optimum paratur; fructus dant aquam & oleum fortissimum destillatum & coctum, unde emplastra & linimenta praestantissima; cortex radice per destillationem & praeparationem exhibet aquam, & oleum camphorae, immo veram camphoram, unde Sirupus camphorae, Spiritus Vini camphoratus, Balsamus Sulph. Compl. Tinctura Sulphuris camphorata, & extractum e radice, optimum in fluxu ventris, & similibus adfectibus proficuum, cuius & electuarium, aliis nempe additis, instar Diascordii agit, & Diascordium Spagyricum ab Auctore vocatur. Cur tam quidem, sed multa tamen dicentem historiam habet Cel. LEMERY o) qui contendit, esse illud secundum corticem arboris canelliferae, qui recens multo minus fragrantiae habeat, ac ficcatus, & postquam detractus fuit aequae bonus post

n) Insulae Zeylanicae thesaurus medicus, vel laboratorium Ceylanicum a Barthol. Pielat latinitate donatum. pag. 84.

o) Cours de Chymie, par M. *Nicolas Lemery*, derniere edition a Bruxelles 1744. p. 585.

post biennium recreſcat. Ita etiam OLAVS WORMIVS in ſuo muſeo, ejusdemque Capite XV. p. 167. Lugd. Batav. 1655. ſat diſtincte, utut concife, cinnamomi arboris lignum, arbo-rem ipſam, & eius corticem deſcribit. Plures Botanicorum deſcriptiones addere, ſupervacaneum eſſe arbitror. Id vero ex materia medica addo, quod corticis huius aromatici viſ, reſtante Ill. BVCHNERO *p*) in anteriori illius membranacea pellicula conſiſtat, quae ad analogiam cellularum mali auran- tiorum vel citri ex multis veſiculis oleo aethereo repletis con- ſtat. Oleum hoc per univerſum corticem minutiffime divi- ſum largitur omnem cinnamomo efficaciam, omnem vim in- ſtaurantem, ſtomachicam, & carminativam; reliquae partes conſtitutivae acres, ſive reſinoſae dicantur, ſive ſalinae, no- xiam illam calefacientem qualitatem exercent.

§ V.

A cinnamomo ad *Aniſum ſtellatum* tranſeo. Aniſum vo- catur, quoniam ſapore & odore, hinc & virtute cum noſtro vulgari Aniſo convenit, nihil ceterum aliud cum illo com- mune habens: ſtellatum vero, a figura capſulae ſeminalis, ſtellam utcunque referente. Qua ex planta deſumatur hic fructus, nondum penitus conſtat. Silent de eo recentiores na- turae ſcrutatores tantum non omnes; ſilet Perilluſtris LIN- NAEVS, ea tantum deſcribens, quae vel ipſe examinavit, vel certo ab avtoptis examinata legit. Antiquiores Botanici men- tionem fructus iniiciunt quidem, neutiquam vero plantam ipſam determinant. Ita IOH. BAVHINVS *q*) fuſius deſcribit hoc ſemen, conſtans ex ſeptem nuculis particularibus, ra- diorum in morem in centrum coeuntibus, triangularibus, longis, leviter compreſſis, extima & convexa peripheria cir- culum

p) Andr. El. Buchneri fundam. mat. med. Hal. 1754. p. 533.

q) Iob. Baubini & Iob. Henr. Cherleri hiſtor. plant. T. I. p. 485. Ebrod. 1650.



culum describentibus, cortice gemino tectis, duro & spadiceo, nigricante, rugoso, interiori propemodum osseo. Ita porro de hoc Aniso refert CLUSIVS *r*) quod non modo semen, sed & seminum umbellas Londino acceperit, sub nomine *Philippinarum insularum Anisi*. Proprium nomen, quod natali loco obtinet, esse DAMON; Erant autem umbellae satis latae, *Archangelicae* umbellis non minores, sed etiam latiores, aliquot pediculis satis crassis & firmis, in orbem ex summo ramorum fastigio nascentibus, quorum singuli semen rustinent, orobi pene magnitudine. Alii non incelebres Auctores vocant Anisum nostrum modo *Badianam*, aut *Badianum semen*, modo *Zingi*, modo *Anisum Sibiriae*, passim quoque *Foeniculum Moscoviticum* & *Sinense*. Apud VALENTINUM *s*) SIMONEM PAVLI, *t*) NEBELIUM *u*) PLATERIUM *v*) & PLUKENETIUM *w*) plures adhuc occurrunt descriptiones. Nullibi tamen hic allegatis locis invenies certa, nullibi characterem botanicum genericum, quem etiam in aliis adhuc vegetabilium, extra Europam nascentium productis desideramus, manifesto utique argumento, quam bene universae medicinae consuleretur, si plures adhuc in dissitas regiones, vegetabilium illorum patrias, instituerentur peregrinationes. Sed historiam Anisi stellati naturalem nondum penitus deferere possum. Extantiores enim in Cel. KAEMPFERI amoenitatibus exoticis *x*) invenio locum, ubi scilicet describit plantam, nostro Aniso simillimam. Ita vero audiunt indefessi viri verba: *Sitfisufoo* altera, odorem *Anisi* spirans; folio

r) Carol. Clusii historia stirpium rariorum. Antw. 1601.

s) in Musaeo museorum. p. 116. Francof. 1714.

t) in quadripartito botanico.

u) in notis ad Amman. char. plant. p. 284.

v) in suo *κειμηλιαρχιω*.

w) in Amaltheo botanico. Londini 1705.

x) Engelberti Kaempferi amoenitat. Exotic. Fascie. V. p. 886 & 887. Lemgov. 1712.

lio melissae in longum mucronem desinente; caule quadrato, flosculorum densis racemis *verticillata dispositione* & sine foliis intercedentibus spicato; *Verticillis* plerumque *octonis umbellae* formam referentibus, ultimo in iubam resurrectam conoidem frontatam uncialis longitudinis terminante; flore parvulo ex purpura caeruleo tubulato, in quatuor vel quinque lacinias diviso, *Anisum* quadantenus spirante, *feminibus in umbilico calycis, incerto numero, paucis, nudis, ovatis, compressis, rufis, parvis, languidum Anisi saporem referentibus.* Ita KAEMPFERVS habet. Mihi quidem valde probabile videtur, intelligere & describere illum sub hisce verbis visam ab ipso plantam, unde depromatur *Anisum meum stellatum*; docet id *Anisi*, quoad saporem & odorem similis planta, docet languidus, uri omnino est, feminis ipsius *anisatus* sapor, innuere videntur flores etiam *umbellae* formam repraesentantes, *verticillati*, exacte quoque conveniunt cum *Anisi stellati* *feminibus*, *verticillum* repraesentantibus, eorundemque in *umbilico calycis* situs. Neutiquam vero determinare audeo, ad quamnam praecise classem, & ad quodnam determinatum genus, vel cognitum, vel novum planta hic descripta pertineat. *Ringenti* KAEMPFERIANA descriptio sat similis est, sed repugnat capsularum seminalium singularis figura, diversissima omnino tam a calycibus, quam a pericarpis didynamiarum omnium? Cum *Evonymo*, cui alii *Anisum stellatum* simile esse putabant, ego quidem nullo modo comparaverim illud, cum in pentandriis monogyniis ne unicum quidem occurrat aroma, & *Evonymus* ipse multum abludat in suo pericarpio. LINNAEI *Badia-niferae* nomen, quod sub suspecto appendicis catalogo habet, in sua materia medica p. 180. nihil plane dilucidat, neque ipsius utut speciosa coniectura, quam in amoenitatibus academicis habet, quasi KAEMPFERVS *Anisum stellatum* sub nomine *Fannae* amoenit. exotic. Fascic. V. p. 880. describeret & depingeret, nam utut in illa icone multam habeant

C

peri-



pericarpia cum Aniso stellato similitudinem, repugnat tamen ipsa fidissimi Viri descriptio, adeo differens ab ipsius qualitatibus, etiam nobis, nondum penitus certis, conspicuis, ut neutiquam adstipulari possim. Pauca ex materia medica addo: Nituntur, quae Aniso stellato adscribuntur medicatae vires, oleo ipsius aethereo, vere balsamico, a quo magnam habet efficaciam in languidis systematis nervosi affectibus, in ventriculi debilitate, vel digestionem omni depravata, & in foetore oris. Pectoralem etiam virtutem exercet, praecipue quoque carminativam.

§ VI.

Asa foetida, Altit *Avicennae*, Aniuden Indorum, succus Lybius, medicus, Syriacus, Cyrenaicus; Wormius l. c. p. 222, seqq. duorum esse generum dicit, alterum e caule, caulinum, scaparium dictum, alterum e radice radicaceum dictum. Una pura & translucens, altera impura & turbida, quibusdam *Lasfo* esse putatur, si quid furfuribus simile in ea conspiciatur, non adulterationis, sed puritatis potius esse indicium. Id in universum verum est, quod *Asa foetida* concrementum sit resinoso-gummosum, hinc ex parte in aqua, ex parte in spiritu vini solubilis, tenax valde materies, Persiam pro patria sua agnoscens. Habet illam sub *Ferulae* genere LINNAEVS y) quod ipse classi plantarum pentandiarum digyniarum adnumerat, Ill. vero van ROYEN umbelliferis, z) & Cel. LUDWIGIVS aa) plantis pentapetalis umbellatis. Vocat *Asam foetidam* quoad speciem determinatam LINNAEVS: *Ferula foliolis alternatim sinuatis obtusis*. KAEMPFERVS l. c. p. 542 seqq. descriptionem omnium partium

y) Spec. plant. T. I. p. 248. & Ei. mat. med. p. 118.

z) Prodr. Fl. Leyd. p. 99 seqq.

aa) in consummatissimis definitionibus generum plantar. p. 201. Lips.
1747.

tium plantae huius exactissimam dedit, quin & modum, concretum hunc gummiresinosum succum colligendi quoad omnes circumstantias, adiecit etiam iconem satis nitidam, WEINMANNIANO *bb)* tamen bonitate inferiorem. Ad virtutem illius, quod attinet, medicatam, ea summa omnino exspectanda est, ab eminentibus illius qualitatibus externis, ab odore, vel potius foetore penetrante, magnam atmosphaerae partem quasi alliaceis vel ceparum effluviis perfundente, quin & a sapore omnino mordaci ac ingrato. Efficax est in nervos, ut docet mirificum illud levamen, quo solatur hystericas. Non est aliud quid ea pulchrius, scribit BOERHAVIUS *cc)* in pilulas formata, ter quotidie exhibita. Magnum medicum novi, pergit, cui pilulae pro arcano erant, ex asa foetida factae, cum pauxillo camphorae, castoreo, mastiche multo, & aliqua vi terebinthinae. Quando femina inter conventus amicarum animo defecerat, dabat pilulam talem, granorum 5 ad 15 usque felici eventu, stimulus enim erat, idemque tenax & diuturnus. Eaedem proficuae oratoribus erant, alta voce ad populum dicturis. Unde, ut ex aliis etiam observationibus, in utroque sexu multum valere Asam hanc foetidam, intelligimus, quoties excitandi & stimulandi sunt nervi, varias turbas experientes. Memini audivisse me saepe ab OPTIMO DOMINO PRAESIDE, semper ipsi plus praestitisse Asam foetidam, ac quidem Castoreum; memini dein memorabilem aliquem ex ore ILLIUS percepisse casum, ubi virginem sub manibus habuit *melancholicam*; vermes in illa primo suspicabatur, & opponebat illis anthelmintica fortissima, ut alii peritissimi quoque fecere Medici, sed sine omni prospero eventu, dedit tunc decoctum quoddam, ex hac Asa eminentius foetidum. Formula illius haec fuit: Recipe Asae foetidae drachmam dimidiam, Radicis Valerianae maioris, Tartari tartarificati aa. drachmam

bb) Operis Weinmanniani Tab. 181.

cc) Praelect. in propr. Instit. ab Ill. Hallero edit. T. VI. p. 371.



mam unam. Misce. Decoquantur cum pleniore aquae libra dimidia, bibat mane ieiuno ventriculo. Ufa est hoc decocto aegrotata paucos per dies, continuavit per hebdomades, & ad plenam mentis serenitatem constantem rediit; unde didicit omnino VIR EXPERIENTISSIMVS, mirabilia hanc Asam praestare in nervos, & cadere virtutem *soporiferam, stupefacientem*, quam ipsi alibi adscribi videas, utut ex altera parte verum sit, ibi quoque magno cum fructu adplicari posse, ubi nervorum systema nimis excitatum deprehenditur. Sopit enim, sed leniter sopit, sedat & infringit turbas. An propter oleosas pigriores partes, multis concretis naturalibus resinosis abundantius admixtas, in specie compositis e resinoso gummoso? An actione mediata, indirecta, qua divertit & revellit motus a parte adfecta, maiore impressione facta in alias remotas, uti obtinere id in scilla, pectorali resolvente potentissimo videtur, quod praecipuam suam efficaciam ventriculo, intestinis, & urinae viis imprimit?

§ VII.

Solum Alcohol superest, de quo prius mihi verba facienda sunt, antequam me ad processum superius expositorum explicationem accingere possim. Alcohol liquor est, fermentatione, soli vegetabili regno propria, productus, pellucidissimus, tenuissimus, inflammabilis, e vino, frumento, fructibus horaeis, quin ipso equarum, & aliorum forsitan mere herbivororum animalium lacte parandus, nullis subinde nativis vel essentialibus qualitatibus, sed odoris saltem & saporis gratia differens. Varias Alcohol parandi methodos BOERHAVIUS *dd*) descripsit, & notas quoque adiecit characteristics, quibus bonum Alcohol ab adulterato, id est, aqueas partes in sinu suo adhuc fovente, optime se distinguat. Cum deinde peculiarium do-

tum

dd) in elementis chemiae Tom. II, Lugd. Bat. 1732. pag. 197 — 202

rum, quibus conspicuum est, exactam & solidam iniiciat mentionem, labori supersedeo, repetituro has exercitati chemici notas.

§ VIII.

Ergo ad rem ipsam propius devolvor, operationum chemicarum (§ I. II & III.) iustam anatomen suscepturus. Dixi iam, quid de meis sentiam essentiis, ut alii eadem sentiant, nunc quidem efficere annitar: probando scilicet, concentratas in se habere *nobilissimas* ingredientium qualitates omnes, remotas esse *noxias corrosivas salinas*, cum fatuis omnibus inertibus. *Cinnamomi essentiam* quod spectat, nam hac rite defensa, sponte patebit essentiae ex *Aniso stellato* paratae genuina ratio. Descripsi illam (§ I.) totam quantam cinnamomi odore & sapore refertam. Cinnamomum omnem habet ab oleo aethereo ponderoso (§ IV.) efficaciam. Oleum hoc aethereum secundum chemica principia a spiritu rectore, ut BOERHAVII nomenclatura utar, suam habet penetrantissimam energiam. Spiritus ille in minutissima dosi, magnam profecto molem, quae ipsum involvit, excellentissimam reddit & efficacissimam. Natura sua quam maxime est volatilis, mox petens auras, hinc invisibilis, hinc *lenissimo igne* separabilis. Ego *lenissimum* adplicavi ignem. Liberavit se rector spiritus. Destillationem institui ope *cucurbitae*, cum abstractiones tales per retortam celebratae oleum totum eliciant. Sic autem obtinui, ut subtilissima fere sola Spiritus Rectoris pars petere alta potuerit, insinuare se in Alcohol, imbuere illud balsamica sua indole mirabili. *Lenissimo igne* repeto, & per *cucurbitam*, iterum iterumque repeto, institui destillationem. Ita profecto nullo modo se extricare potuerunt graviores salinae partes, magnum calorem, meo certe adplicato multo maiorem, ad evolutionem & liberationem sui requirentes. Obstitit porro cucurbita, cuius pro altitudine recta sursum protensa, & ampliori spatio, quod



inter illam intercedit, & inter excipiens vas, pro ampliore ipsius tubi capacitate, fieri omnino nullo potuit modo, ut separata etiam in fundo fortiter particula salina *crassior* cum *subtilissimis* concentratissimi spiritus vaporibus combinare se, & Alcohol inquinare valuerit. Per *retortam* autem facilis fuisset talis ascensus. Agnoscet is, qui retortae fabricam perspicit, nam secundum illam multo facilius poterit ex fundo in rostrum abire separata materia nociva, totamque operationem omnino depravare. In secunda destillatione cautela haec supervacanea fuisset. Prima enim iam mihi correctam dedit Cinnamomi essentiam, a secunda saltem concentrationem expectavi.

§ IX.

Ea, quae nunc dixi, ad *Anisi stellati* essentiam belle possunt adplicari. Est enim aequae ac cinnamomum aroma, & aromatum partes constitutivae principales omnes inter se quoad primaria momenta conveniunt. Differentia vel a maiori, vel a minori nobilium partium praesentia dependet, vel a diverso accessu accidentalium partium peregrinarum. Unde emergunt varii in aromatibus efficaciae gradus. Sunt acerrima & acria, & blanda occurrunt, ac blandissima aromata. Ad blanda refero meum Anisum stellatum, cuius etiam oleum aethereum levius multo aquae supernatat, ut fundum in ea petit destillatum cinnamomi oleum. Fovet scilicet hoc ex aniso stellato non adeo multas salinas particulas, easdemque non adeo acres & flammeas; habet tamen adhuc aliquas, easque in praeparata inde essentia separavi. In probatione huius adferri non multus ero. Dixi iam, adhibuisse me omnes encheireses & cautiones, quas in cinnamomi essentia descripsi. Hinc non aliud potuit emergere productum, vel potius eductum, ac quidem nobile, subtile admodum, purum, a salinis quisquiliis repurgatum omnibus. Ergo maneat ipsi idem omnino valor!

§ X.

§ X.

Ad essentiam *Asae foetidae* transeo. Iam de virtutibus eius commentatus sum, & vere ita sunt comparatae, quicquid contra ipsam hanc *Asam* urgeat Cel. IVNCKERVS gg) Halensis olim medicus, meritis in rem medicam clarissimus, acerbior heic forte iudex, ab humano non alienus. Quid vero de illius essentia, quam ego adornavi, sentiam, nunc proferre mens est: Illa scilicet sub omnibus necessariis cautelis chemicis-pharmaceuticis parata, non uno saltem nomine praeferenda est ordinariae illi *Asae foetidae* essentiae. Videamus rationes: Paratur ordinaria cum spiritu vini tartarifato, vel quod idem est, cum spiritu vini simplici, & cineribus clavellatis, aut sale tartari fixo. Proportio menstrui extrahentis in dispensatoriis varia est. Legas v. c. in Brandenburgico ad duas *Asae* uncias spiritus vini libram unam, in aliis itidem ad duas uncias integras viginti duas menstrui uncias. Per triduum ut plurimum materias digestionem committunt, donec omnem *Asae foetidae* efficaciam imbibisse spiritum autumant. En itaque differentiam satis notabilem! Ego ad unciam unam *Asae* sumsi saltem Alcoholis uncias quatuor. Ita obtinui, ut non omnes *Asam* constituentes partes solvi extrahere potuerint, quod fieri omnino debet in ordinaria, si insignis illa spiritus copia, destillationi dicata perpenditur. Ingrediuntur ergo praeter bonas & efficaces nervis adeo faventes particulas aliae adhuc excipiens vas nocivae, inprimis salinae, quas in tota hac dissertatione mea remove tentavi. Taceo, quod longius illud temporis intervallum, in quo transigitur ordinariae essentiae destillatio, noxiarum illarum particularum separationem satis adhuc promoveri queat. At sunt forte, qui obiiciunt, pusillam adeo menstrui quantitatem imparem omnino esse, quae omnes *Asae* nobiliores in se reciperet

ee) in Conspectu therapiæ generalis. Tab. XX. de specificis. pag. § 18.



ciperet partes. Sed falluntur, regero. Sane plus valet vini Alcohol, quam spiritus illius, vel non, vel semel tantum rectificatus. Maiori cum vi solvendae materiae adgreditur particulas, quae promptius & citius omne intrant Alcohol, & per totum eius corpus se diffundunt. Adhuc dubitanti meam oppono essentiam, penetrabiliorem & foetorem tamen & saporem essentiae ordinariae habentem, sed e contrario expertem acrimoniae omnis, quae in altera merito accusanda est. At meae nondum penitus exhausta est praestantia. Sumunt pro illa ordinaria spiritum vini tartarifatum. Sed quid inde? Misti mixturis, misti aliis liquoribus, contrariam indolem habentibus, statim praecipitata fundum petit. Detrahitur ergo primaria ipsi efficacia, eo magis, si aegroti, & id saepissime fit, necessariam vitri agitationem, antequam adsumant guttas, omittunt. Ego simplex sumsi Alcohol, ergo mea essentia omnibus quibuscunque liquidis formulis commode immisceri potest; licet enim ab adfusa sibi aqua pariter lactescat, id tamen accidit modo multo subtiliore, ac in aliis essentiis Asae foetidae vulgari methodo paratis.

§ XI.

Sed video, dum haec ipsa scribo, insurgentes contra me speciosis coniecturis quam plurimos. Erunt aliqui, qui hypothesein meis dogmatibus ex opposito contrariam proferentes ajunt, ipsas illas salinas aromatum partes, quibus adeo infensus sum, exercere in analepticiis analepticam virtutem. Scilicet delata in ventriculum aromata, inquiunt, ferire nervas ibi obvias fibras, & ferire fortiter, excitare & stimulare illas, & propter impressum in eas stimulum, propagatum per totum nervosum systema, ipsique adplicatum sensorio communi, analepticam consequi recreationem, me igitur salinas partes remoturum, removere optimas, adeoque ex optimo medicamento reddere me iners & inane. Dura obiectio! Sed

Sed salva mea res est. Probabo. Salia omnia, prouti sola ea, nullis aliis materiis vehiculisve mixta sistit natura, percurrentes, sane invenio nullum, cui unquam immediata, nervina, analeptica virtus tributa fuisset. *Immediata* dico, nam inficias ire nequeo, quod plurima salia *mediate* s. remote analepticam virtutem exercere possint, dum scilicet causam remonent, quae insidiatur nervis, eosque absolvendo suo munere privat. Sed remotam hanc analepticorum significationem in Prologo iam innui. Mihi de immediata sermo est, quam probare an nituntur memoratae hypotheseos Patroni. Si itaque pura salia analeptica dici nullo possint modo, cur quaeso ad illam virtutem in salibus plurimis aliis partibus immixtis confugiendum est? At volatilia forte salia immediate adficiunt stimulantque nervos? Neque hoc concedo. Volatilia corpora in genere favent quidem excitandis nervis. Ipsum, quod abstraxi, subtilissimum meum aethereum oleum, huius naturae est. (§ VIII.) immo volatilis materiae idea supponit proximam in nervos vim & efficaciam. Sed quotiescunque volatile quoddam corpus associat sibi aliam adhuc materiam, ut vel medium emergat sal, uti quidem in aromatibus adsumunt tale, vel aliud quodcunque productum, tum profecto alia oritur virtus. Sumamus sal ammoniacum, totum quantum volatile alcalinum, mixtum acido cuidam minerali, ad indolem acidi salis communis accedenti. Quis unquam de hoc citissimam cardiacam virtutem expectavit? Est validissimum incidens & abstergens, & hoc respectu utilissimum omnino medicamentum, sed nullo modo immediatum nervinum! Idem de sale aromatum volatili censendum est. Optime agit, qui illud removere studet, nam castratur & depravatur indoles aromatum nobilissima, blandior, quoniam ad naturam salium omnium, caeterum efficacium, rodit & corrodit, ut proinde, cum negari non possit, acutere omni modo in adplicatione ipsa vim oleosae partis, pro

D

usibus



usibus tamen internis ubique cum ratione a prudentibus excludi posse non minus, ac debere consultum videatur. Sed mitto haec. Alio adhuc argumento refutabo illos salium patronos. Dicunt exercere statim in ventriculo suam energiam salutarem? Sed mire refragantur experientiae. Audiamus parumper, quis effectus sit Cinnamomi, vel illius aetherei olei, a subiecto, debili nervoso systemate laborante, deglutiti? semper recreantur ad tempus, & excitantur. Sed elapsis quatuor circiter horis subsequitur calor. Melius hoc phaenomenon explicare nequeo, nisi statuam, agere in ventriculo spiritum aromatis rectorem, & inde propagari stimulum per omnes nervos, sed a vellicante simul intestinali salina parte aromatis, acrius adfici vasa nervosque, sanguinisque maiorem concitari adfluxum. Pone iam, sensim & sensim aliquid huius acrimoniae recipi quoque vasorum intestinalium osculis, communisque circulationis lege per omne vasorum genus totumque corpus agi, & adplicari ubique; quantum quaeso non augebitur aestus ab adplicato stimulo ex ipsa vi vitae magis activo reddito, translato ad Cor, ad *encephalum*, aliasque nobiliores partes? Ergo salia in analepticiis medicamentis non tam directe analepticam exercent virtutem, utut augere illam possint, quam potius noxiam addunt calefacientem.

§ XII.

Sed aliud forte superest dubium, quod contra meditationes meas oriri possit. Vehiculum subtilis mei aetherei olei ubique fuit Alcohol. Alcohol vero est acerrimus penetrantissimus liquor, vix inferior mineralibus acidis acrimonia, sed acrimonia singulari spirituosâ. Quare metendum est, ne inde maior calefaciens virtus ex Alcohole subtili nupto illi oleo nascatur, quam quidem a salinis illis particu-



ticulis, quas removi? Posset ita omnino videri? Sed cogitet hoc dubium obiecturus mirabilem illam relationem, quam ad concentratissima mineralia acida habet Alcohol! Ex vitrioli oleo, quod perperam ita vocatur, cum Alcohole diversa proportionem mixto, unde liquor anodinus Hoffm. emergit, vel ex spiritu nitri concentrato, itidem Alcoholi unito, unde vel nitri naphtha, vel spiritus eius dulcis oritur, acida prodeunt mitigata, dulcificata, quae temperantem refrigerantemque virtutem habent. For-
san eadem ratio locum habet, quando Alcohol vegetabili cui-
dam concentratae materiae admiscetur? Certe cum diversa sit prorsus acrimonia haec aromatica, oleosa a spirituosa, nec in essentia cinnamomi nostra, quin & anisi, & asae foetidae concentrata observetur aliquid ultra illius acrimoniae oleosae aromaticae, aut certe illud sit subtilissime per Alcohol divisum, quantum e sapore intelligimus, tanto maiorem promitto mihi oleorum horum & essentiarum correctionem & exaltationem, sola etiam impetratam liberatione ac separatione ab acri crudiori salino, quanto evidentius exuviae cinnamomi & anisi stellati, destillando sic emunctae concentratam adhuc gustui offerunt eam salinam acrimoniam, in Cinnamomo quidem graviolem procul dubio, quam quae hoc sub apparatu vasorum elevari potuisset; in aniso stellato tenacius nuptam reliquis eius elementis, quam quae hoc liberari potuisset ignis gradu, & alta simul ascendere per vasa.

§ XIII.

Ergo crediderim, vindicasse me essentiarum mearum analepticarum correctarum & concentratarum potentiam summam a iustis, quae contra illas oriri possent, dubiis. Maneant efficacissima medicamenta! Subiungam, in quibus



morbis, & sub quibus cautelis usurpari possint, plena cum aegrorum euphoria?

§ XIV.

Conducunt vero essentiae illae analepticae in omnibus nervorum morbis, ubi excitandum est, sive iam ponatur illorum omnis functio plane abolita, sive turbas saltem & torpores spectaveris, graviora, utut nondum consummata mala minantes. Unusquisque videt, miram posse efficaciam habere in apoplexia serosa; omnis enim huius cura eo redit, ut arthritidem facias, impetum a capite ad artus & exteriora revellas, spiritusque animales stimules, ut suum iterum munus obire possint. Sollicite legas practico- rum monita inculcare Cardiacorum usum, modo non essent adeo calefacientia. Privavi ea noxia hac qualitate, dum scilicet removi, ut in apoplexia etiam sanguinea prudens locum invenire usus possit. Possunt enim nunc erigere compressos & dormientes nervos, sine subsequenti calore & irritatione. Id saltem tenendum est, derivantia & evacuantia medicamenta cum analepticiis praemittenda esse, nam causa morbi non sublata, nimio scilicet sanguinis versus caput adfluxu non impedito, morbus persanari non poterit. Neque in apoplexia sola energiam suam exercebunt analeptica, cauta hac methodo parata, verum & in morbis apoplexiae serosae adfinibus, in lethargo, in vigili & somnolento comate, in caro; in catalepsi, in omnibus illis morbis, ubi certo scimus nervorum labefactatum & suppressum esse munus, quid erigentibus, quid excitantibus excogitari potest praestantius? Sed id faciunt analeptica; & me quidem iudice haec sine omni noxa. At saepe quoque nervi patiuntur, in sexu in primis sequiori, symptomatibus non adeo insignibus & funestis, molestis tamen, & graviorum nonnunquam

quam prodromis. Ita scio hystericas ex utero plurimas gravativum per totum corpus sentire torporem, respiratione difficili comite, faucibus minante suffocationem, scio illas modo cephalalgia vexari, modo notabili ad pectus congestione, accedentibus horripilationibus vagis, nec id nescio, quod multa tum medicamenta *frustra porrecta* fuerint, ipsum castoreum, hystericum alias decantatissimum remedium nullum ferebat opem; *sola* vero Aſa foetida fecit malorum exoptatissimum finem. Ipsa mea, quam exinde destillavi, essentia quinta, nuperis demum diebus feminae cuidam hystericae, debili nervoso systemate laboranti, praescripta mire levabat illam, erigebat nervos, ut, quum semper artuum accusaret lassitudinem, & insignem torporem, plena nunc iterum valetudine fruatur. Sed haec de foetida aſa; cum ea reliquas illas ex aromatibus paratas essentias, in levioribus utriusque sexus nervorum adfectibus, sensuum tam internorum quam externorum difficili usu, quin & musculorum depravata actione, ut plurimum se manifestantibus, gravissimis praesertim animi deliquiis, commode usurpari posse, sponte patet. Ubivis excitant & stimulant. Et alia indicatione non opus est.

§ XV.

Liceat autem ultra extendere hunc usum. In morbis priori paragrapho allegatis necessarium esse *Verorum* analepticorum usum, facile dubitaverit nemo. At non dubito, eundem ad febres etiam transferre tam intermittentes, quam acutas. Occurrit in illis fatale saepenumero symptomata, quod *debilitatem febrilem* vocant. Oritur illa ab impedito in musculos nervosi liquidi influxu & pressione, quod utrumque vario modo variisque de causis fieri potest.



Caussas analepticas meis non removebo, eas saltem faciam inertes. Movebo & commovebo spiritus, ut tantisper motibus utcunque praesint, donec reparata sit, remediis, causam adgredientibus & subvertentibus illorum exhausta copia. Erigentem hunc stimulum ipsa curatoria indicatio, utut palliativa sit, exigit. Torpentibus & languentibus nervis languent motus omnes, & motibus nimis languentibus nihil periculosius est; nam quae illorum ope materiae morbificae & coctio & eliminatio fieri solet, nunc plane suspenditur & cessat. Ergo excitandum est, ut per nervorum excitationem cordis etiam arteriarumque motus excitetur. Febrem non curabo analepticas meis; id saltem faciam, ut natura & reliqua mea resolventia & temperantia medicamenta febrem curare possint. Salinas partes, id est, calefacientem indolem subtraxi aromatibus; hinc noxius contrarius effectus, qui ex stimulantium usu iure metuitur, a meis analepticas totus quantus abest.

§ XVI.

Confirmabo haec mea asserta acutissimorum Virorum auctoritate. Ad SYDENHAMVM ante omnia provoco. Ille vero operum medicorum ff) T. I. Sect. I. Cap. 4. ita febrium instituit curationem. Praemittit in omnibus venae-sectionem & vomitorium. Exantlatis hisce evacuationibus ulterius disquirat, utrum sanguis etiamnum adeo exaestuaret, ut illius effervescentiae limites adhuc ponendi sint: an vero eo usque elangueret, ut indigeat incitamento; vel denique, an fermentatio ad debitum gradum reducta permitti sibi absque aegri periculo possit. In primo casu repetit venae-sectionem, praesertim in temperamentis sanguineis, sed inprimis ad clysmata

ff) Thom. Sydenhami opera medica. Genev. 1754.

mata confugit, quae singulis, vel alternis diebus iniici jubet. In secundo casu, quem ego praecise innuo, *cardiacorum* auxilium suggerendum arbitratur, & quidem *moderatorum*. Commendat hunc in finem aquas stillatitias cordiales, sed vereor, ne earum efficacia inertior sit. Eo magis id vereor, quo maiori cum admiratione paulo inferius, formulam, ut vocat SYDENHAMVS, cardiacam legi, conflata *e cancro- rum chelis, e lapide bezoardico orientali & occidentali cum contraiervae radice, & auro foliato*. Quid quaeso terrea haec therapia? Terrae a potiori virtutem aliam non habent, quam quidem absorbentem. Ergo optima est in debilitate febrili *cardiacorum indicatio*, sed alia optassem indicata; mea ut huc transferrem analeptica, lubentissime repeto; nam a priori penetrantior illorum qualitas evidentissima est. BOERHAVIUS quoque gg) & cum eo Cel. van SWIETEN hh) urget, si segnior apparet impetus febris, *cardiacorum* usum, ipsa quoque permittit acria, sed hac in re non consentio, nisi parcissima dosi, & rarissime propinari ea velit. Semper quoque videas, *cardiaca* eum commendare *remota*, mihi vero de *immediatis* sermo est, quae admittit pariter TRALLESIUS, Vir mea laude maior ii) nec non Ill. LUDWIGIUS, Lipsiensium singulare ornamentum kk) sua propria experientia miram horum in torpore febrili energiam expertus.

§ XVII.

gg) Aphorism. de cognosc. & curand. morbis §. 611. p. 134.

hh) Comment. in aphorism. Boerbav. T. II. p. 159, seqq.

ii) in aureo de remediis terreis tractatu p. 196. seqq. Vratislav. & Lips. 1740.

kk) in solidissimo programme academico de Vita molli, causa debilitatis in morbis, quo ad Cl. Pillingii de Vrina cretacea dissertat. inaug. sub praesidio Cel. Hundertmarkii defensam invitavit, Lips. 1761.



§ XVII.

Sed nec in febribus solum analeptica mea *correcta* commendo, in haemorrhagiis quoque violentis 11) proderunt multum. Nimis temere forsitan a me haec proferri, arbitrantur multi, cardiacorum irritantem qualitatem accusantes, & maiorem nutrientibus gelatinosis carniū iusculis efficaciam adscribentes. Ad haec posteriora quod attinet, & ego insignem ipsis confortantem virtutem tribuo. Non fugit me, quam mirifice inde erigantur & recreentur tabidi, ubi de viribus plane actum esse videtur. Sed ex hac observatione non valet conclusio: Ergo in haemorrhagiis idem praestabunt. Efficacia eorum non adeo cito se exserit in his, ac quidem requiritur. Pone graviter vulneratum, ubi sanguis undatim profluit, pone illum magnam gelatarum nutrientium copiam comedentem, an credibile est, ut adeo brevi temporis intervallo ea ipsa iuscula, utut jam magnam alant cum inquilinis nostris humoribus adfinitatem, permutentur in sanguinem? In sano homine fluunt aliquot horae, antequam cruor ex illis fiat. In aegroto deficiunt, vel certe labefactatae sunt vires, quae perficiendo chymo & chylo propiciunt; hinc vana conjectura non est, moriturum esse prius aegrum, quam quidem ex assumptis illis alias optime nutrientibus

11) Meditate in haemorrhagiis violentis dico, nam in spontaneis internis, etiam largioribus, analepticum solamen non adeo necessarium esse videtur. Poteris enim, si sedandum est, priusquam deficiant aegroti vires, occurrere haemorrhagiis illis per Vitriolum martis, interne datum; solidissime id demonstratum invenies in dissertatione inaugurali de probato tutoque usu interno vitrioli ferri factitii, adversus haemorrhagias spontaneas largiores, quam sub praesidio OPTIMI PATRVI ante octiduum pro gradu Doctoris defendit Doctissimus Dominus de Olnhausen, Lauffensis poliater ordinarius, Fautor & amicus meus singularis.

tibus materiis generetur sanguis. Quid ergo in urgenti tali & vehementi casu praestantius, quid aptius excogitari potest, quam semel & simul vellicare & excitare nervos, ut conserventur aegroti adeo necessariae vires, & ut per ipsam hanc conservationem melius deinde succedere possit omne curationis negotium. Palliativam hancce methodum absolvent analeptica, sed irritant simul, calefaciunt, urgent sanguinem cuncta igitur faciunt deteriora, instas? Analeptica vulgaria concedo, mea nego. Absunt salinae & vehementius irritantes particulae omnes, funestum illum effectum producentes. Solus agit rector spiritus. Solum agit aethereum oleum. Ab hoc malus eventus metuendus non est. Interim aliquid fit, sustentatur vita, solidioribus brevi fulcienda. Adeoque in haemorrhagiis violentis optimo cum successu Essentiae meae vel e Cinnamomo vel ex Aniso stellato paratae, guttae octo sive decem dari possunt, dosi hac secundum circumstantias vel moderata, vel aucta, vel repetita, vel non.

§ XVIII.

Ita primaria dissertationis meae pertractavi momenta. Sed antequam ipsi finem impono, communicabo adhuc alium, quem institui, chemico-pharmaceuticum processum. Dum scilicet priores illas destillavi essentias, & dum destillatio ipsa meo ubique desiderio satisfecit; simul quoque cogitavi, annon analepticum quoddam aroma Alcoholis loco cum quodam vehiculo optimarum partium extractione pari combinari possit, ex quo connubio cum cardiaca refrigerans quoque temperansque virtus emergeret, sicque dubium omne contra vim calefacientem praescinderetur? Ad acida dulcificata, temperante antifebrili virtute praedita

E

con-



confugiebam. Sumfi ex illis spiritum nitri dulcem ob rationem infra indicandam, formula sequenti: Recipe Anisi stellati uncias duas, spiritus nitri dulcis uncias sex. Misce. Fiat sub *lenissimo* igne destillatio per *cucurbitam*, abstrahantur unciae duae. Ad analogiam essentiarum iam descriptarum rectificavi quoque nova cohobatione hanc essentiam, quae sane non cedebat efficacia prioribus. Habuit omnes nobiliores Anisi qualitates, intime commixtas dulci nitri spiritui; sapor id docuit & odor. Erat penetrantissima, & simul quoque suavissima. De hac praecipue urgeo, quod substitui posset primae & secundae destillatae, si quis forte in debilitate febrili, de tuto illarum usu adhucdum dubitaverit. Habemus enim sic medicamentum analepticum, carminativum, anticolicum, (hanc enim etiam virtutem praecipue anisum habet) immediate nuptum non simplici Alcoholi, sed eidem iam privato virtute calefaciente omni, permutata in contrariam. Ubi autem deficit essentia talis, in qua destillando unitus est spiritus nitri dulcis, poterit alteri simpliciter spirituosae cum successu procul dubio parum inferiore iungi aliquid spiritus nitri dulcis ex tempore.

§ XIX.

Sed dicendum est, cur spiritum praecise nitri dulcem elegerim. Omnis ratio eo redit, quod spiritui vitrioli dulci & liquori anodyno minerali HOFFMANNI non semper tutissima fides adhibenda sit. Scilicet e vitriolo praeparata, etiam liquida sine sulphuris idea cogitari vix possunt. Et praeparatio eorum, si vel cautissima sit, adeo tamen prospere succedit nunquam, & nunquam succedere potest, ut nullum remaneat sulphur. Manifesto argumento esse potest ossa illa nigra, quae sub praeparatione liquoris anodini genera-



neratur, & carbo sulphureus inde relictus; ipsae dotes ultimorum e vitriolo eductorum, in specie olei vitrioli, confirmant idem. Docent deinde noxas practicorum observationes; qui toties viderunt & audiverunt, sinistros effectus usum liquor. miner. HOFFM. fuisse secutos, perturbationes capitis vertiginosas, cephalalgiam, tormina, pectoris, cui vaporosum sulphur omne inimicum est, oppressiones, nervosi systematis lenem quidem narcosin, crebriorem commitatam usum, & alia mala, quae omnia nunquam a spiritu nitri dulci metuas, prouti etiam absunt a spiritu salis dulcificato. Quare non dubitarem, loco illius hoc etiam
uti, nisi adeo facile longiore mora, & per aetatem
degeneraret rursus in praedominantem
acescentiam.

T A N T V M





AD
AMICISSIMUM DOMINUM AVCTOREM
DISSERTATIONIS HVIVS
PRAESIDIS
EPIPHONEMA:

Non decet amicos patrio sanguine coniunctos laudare, quare nec Tu laudem a me heic expectare poteris, quam quidem scribere haud nefas ducerem, cum omnis Te academia nostra sciat, Iuuenem optimae spei esse, qui plurimo haecenus cum ardore studiis incubuerit & absolute necessariis, & elegantioribus medicis.

Liceat autem pauca Tecum colloqui de hac Tua dissertatione, quam censurae utique meae subiecisti seueriori a primis paginis ad ultimam usque, talem vero mihi obtulisti, ut meis ex emendationibus parum insit, inueni enim partim ita elaboratam, ut mea carere lima potuerit egregie, partim nolui Tuam ego interpellare ubique vel sentiendi, uel scribendi libertatem, & consulto multa intacta reliqui, ut sisteres Publico specimen pro foetu Tuae magis propriae meditationis agnoscendum; quemadmodum enim maximos inter Viros opinionum dissensus neutrius quidquam famae detrahit, sic multo minus opprobrio Tibi esse potest, cum nunc aut aliter passim sentire me declaro, aut aliqua etiam desidero, quae latius diducta optassem; facilius enim est carpere, ac ea perfectione, quae sperari potest, & postulari, tractationem talem ipso exhibere actu. Proponam igitur pace Tua, quae post lectam, Tuam dissertationem reuisamque meam subierunt mentem supplementa: Et
primo

primo quidem aptissimus heic fuisset locus, inquirendi,
 & dispiciendi circa rationes, ob quas cinnamomi oleum
 adeo se gravitate distinguat ab aliis aethereis specifica, ut
 fundum in aqua petat, quod & aliis quibusdam, sed
 paucis accidit? Haec enim eius conditio singularis non
 exiguam creavit in primo Tuo processu molestiam, &
 impedimento fuit, quo minus ita prompte destillatio suc-
 cederet, ac de sequente seminali aromate; adeoque Tua
 omnino digna erat discussione? Bene quidem novi, Che-
 micorum plurimos, cum de hac cinnamomi, aliorum-
 que affinium oleorum specifica gravitate iudicant, adde-
 re ut plurimum: cadere illam in plurima olea, quae
 dimittunt aromata calidiorum regionum, torridosque
 zonarum illarum aestus, qui olea haec ita excoquant
 ibi, motuque diurno, nocturnoque agitent, ut non eo
 tantum Solis labore multo acriora fiant, sed & uniant
 sibi plures multo particulas grauiiores, e corpore, quod
 inhabitant, ac alia habent olea, easque adeo subtiliter
 soluant, recipiantque suam in sphaeram, ut sponte non
 facile secedant rursus, & pondus addant notabile massae
 olei totius, quod aequae se prodat in unica olei gutta in-
 stillata, ac in pluribus eiusdem drachmis, vel unciiis in-
 fusis aquae. Atat, fateor, haec mihi responsio non sa-
 tisfacit? Quid enim, nonne habemus etiam oleum huius
 generis essentielle de ligno Americae septentrionalis, ni-
 mirum Sassafras? quid quod, contrarium ut in medium
 producam exemplum, ipsum illud e planta insularum
 asiaticarum, quae a Philippo II, Hispaniae Rege nomen
 habent, destillatione prouocatum aethereum oleum aquae
 supernatet, cum profecto sub climate satis calido planta
 E 3 viuat,



viuat, unde habetur oleum? Unde mihi quidem theoria
 ista nodum soluere nullo videtur modo, tantoque mi-
 nus, cum, prouti videmus, nullibi partes humorum
 constitutivas in corporibus naturalibus arctius inter se
 uniri, ac in materiis animalibus propter agitationem
 illam perpetuam, quae per leges circulationis in oecono-
 mia viuorum animalium obtinet, semper tamen obser-
 uemus, oleum ab iis destillatione separatum aqua leuius
 esse, utut dissimulare nequeamus, illud oleum, empyreu-
 maticum dictum, aliud esse indolis, & productum po-
 tius, ac eductum, quamuis etiam naturale oleum ex
 ipsa corporis animalis fabrica elaboratum, pinguedo, &
 sebum pariter aquae supernatet. Ergo alia quaerenda
 est phaenomeni huius ratio, quam forte suggerit ipsa
 Tua dissertatio? obseruasti tardissimam procedere cinna-
 moni destillationem cum alcohole, indeque paucissimam
 rediisse liquoris quantitatem, contra uero maximam eius
 partem absorptam fuisse in ipsum cinnamomi corpus,
 nonne uero inde concluderis: ergo procul dubio ratio prae-
 cipua quaerenda est in textura totius corporis cinnamo-
 mi, vel mixtura particularum salinarum arctissime uni-
 tarum, & materiae olei, qua talis, & reliquo corpori cin-
 namomi adeo firmiter adhaerentium, ut nisi aqua multa
 bulliens, & ab illis particulis salinis gradu caloris aucta
 iuuerit earum solutionem, quae uero accidere non possit,
 quin propter consuetum firminus vinculum, & acrimoniae
 uehementiam, calorisque maiorem gradum abripiantur si-
 mul aliae ponderosiores, terrestres; imo uero sola potest
 abundantia partium salinarum, oleosis ubique obuoluta-
 rum, quam demonstrant observationes de cinnamomi oleo
 genui-

genuino in Prologo abs Te indicatae, pondus addere satis magnum, ut scimus reciproce, aquam sale quocunque saturatam nullum tale oleum ponderosum transmittere, ut ad fundum cadere possit. Videtur mihi plus habere speciei altera suspicio?

De aniso stellato non inutile fuisset, chemice rimari profundius hac occasione differentiam eius ab aniso nostrate, aut etiam ante praeparationem hanc quintae illius essentiae, quam proponis, destillatione cum aqua elicere stillatitium eius oleum, idque serio explorare quoad omnes suas qualitates, ut vel cum oleo cinnamomi tutiorem instituire comparationem potuisses, vel & iudicare confidentius de differentia eius ipsius, & huius Tuae quintae essentiae, forsitan enim hoc oleum non adeo abundat acribus, & salinis particulis, ut pretium operae, atque pretiosae adeo separationis, & collectionis praerogativa producti solueret?

Quod vero ad asam denique spectat foetidam, existimassem ego, vix posse hanc Tuam dissertationem illa Kaempferiana carere descriptione, si non plenaria, tamen praecipua; ut enim nihil tangam de illa botanica scriptorum Historiae naturalis bilingui relatione, quae modo narrat, haberi concretum succum hunc e specie tithymali, de quibus plantis nemo nescit, scatere undique succo acri, lacteo, copioso, lentescente facile, modo alia vult, ut ipse Kaempferus nobis persuadere conatur, profluere de radice sauciata ferulaceae plantae, toto coelo a tithymalis distantis, non parum profecto interfuisset, alios etiam docere indolem succi huius recentis, liquidi, excurrere hinc ad mixturam saponaceam, vel saponaceae certe proximam, quam adeo aequabilem in his adornare scit Natura materiis



riis vegetabilibus, ut imitari Artifex humanus difficulter possit; euagari porro iucundum non minus, ac utile fuisset ad compositionem singularem, & ingredientia mixtorum talium e resinosis & gummosis, ad euolutionem singularis illius principii, quod adeo potenter nares, nervosque afficit, discrimina horum odoratorum succorum ab aromatibus, & quae sunt alia similia.

Denique opportunum valde fuisset, ab hoc exemplo asae foetidae digressionem instituere ad rationes, cur a potiori foetida in pathematibus hystericis, vel uterinis, externa & interna tantam sibi iuuando praerogatiuam vendicent, & opem ferant longe maiorem, & superiorem omni ea, quae ab altis & acribus, & oleosis, volatilibus suaueolentibus expectari potest? Quin etiam, cur communi satis idiosyncrasia systematis neruini uterini grauius ab his afficiantur hystericæ, suarumque passionum exacerbationes potius experiantur? Verum claudendi sunt riuuli, haec amice monuisse sufficiat? Desino in Vota pro salute Tua plenissima, qui sincero ex animo Tibi gratulor de specimine hoc eruditionis Tuae non vulgaris, eadem DEUM precor mente, velit ita porro Tuis adesse laudabilibus studiis, ut fructus eorum exoptatissimos non Tu tantum inde legere possis, sed & iisdem Veneranda Tua Domina Mater, cum omni Tua familia seram ad senectutem usque recreari queat. DEUS Te comitetur ubique in itinere, quod meditaris ad exteros, ille per dies magis & magis suam in Te confirmet gratiam, qua Te ad hunc vitae academicae terminum duxit, eaque ita Tuum pectus perfundat, ut sentias undique, quam bene sit, hanc sequi felicitatis omnis proram, & puppim, & ex hac vitam haurire, qua non beata magis esse, laetiorque potest. Sequere bona omnia Tuorum amicorum consilia, quae Tibi hanc normam inculcant, ita vero vale, meque amare perge! Scripsi e musaeo meo, postridie calend. Mart.

A. R. S. MDCCLXIII.

